



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De Paschae Solennitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

CONCILIVM ROMANVM III.
 QVOD SANCTVS PAPA SILVESTER
 CELEBRAVIT

ANNO
 CHRISTI
 325.

^b(PRÆSENTE CONSTANTINO AVGVSTO)
*in vrbe Roma, intra thermas Domitianas, cum 275.
 episcopis, qui in ipsa Synodo conuenerant, vocati
 a beato Siluestro.*

SILVESTER episcopus sanctæ & apostolicæ sedis vrbis Romæ dixit: Quidquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est, ad robur sanctæ matris ecclesiæ catholicæ & apostolicæ, a sanctis sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti & magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est^d sub præsentia piissimi & venerandi principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.

DE PASCHÆ SOLENNITATE.

OMNIBVS episcopis & presbyteris præceptum est, Paschæ obseruantiam custodire a luna 14. vsque ad 21. ita vt Dominicus dies coruscet. Et dixerunt episcopi: Placet. Rursus Siluester episcopus dixit: Robustius duximus consilium, (si placet,) vt omnis episcopus qui conuenit ad Concilium, fidem suam chirographo confirmet, vt deinceps rediens ad parochiam suam, compaginem nostræ salutationis plebi suæ innotescat, vt fide Concilii declarata, intemeratus ordo seruetur. Et dixerunt episcopi: Placet.